



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 1. Deciditur Difficultas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

tentiam Judæ erit absolutè futura. Secundi, si velit pœnitentiam absolutè futuram, si ponatur conditio. Tertiū autem exemplum est, si Deus promississet Angelis sub conditione pœnitentiæ veniam peccatorum fuissent salvati, ubi & promissio Divina est conditionata, & sequens gloria, est conditionata.

PRÆMITTIT 2. Statum & existentiam conditionatam rei futuræ absolutè si ponatur conditio, esse duplicem: alia enim est existentia nonnisi conditione affecta, & status conditio illa affectus; & hæc est ipsa existentia absolutè futura, si ponatur conditio. Alius autem status conditionatus non tanquam conditio affectus, sed tanquam efficiens conditio, suum objectum. Prioris exemplum est, pœnitentia Judæ futura sub conditione vocationis, estque illic status conditionatus conditio affectus: Status vero conditionatus, conditio efficiens suum objectum est scientia media, seu status futuritionis conditionatæ, qui actu existit, etiam si non existat vocatio.

PRÆMITTIT 3. Alium esse statum conditionatum activè, alium passivè. Passivè est ille prior, activè, posterior: quia scientia media dat denominationem futuri sub conditione, estque extrinseca rei futuræ, potestque dici futuritio formalis; illa autem prior, est intrinseca, & potest dici objectiva.

Punctum Difficultatis

tis I.

Deciditur Difficultas.

DICENDUM est. *Scientiam non esse necessariam ad operationem sub conditione futuram, seu quod idem est, non esse formalem futuritionem conditionatam, ipsius futuri conditionati.*

PROBAT I. Pro illo priori antecedentiæ, antecedens futurum conditionatum, scientia media, illamque futuritionem in ratione futuritionis conditionatæ constituens, vel noscit jam futurum conditionatum, vel non noscit? Si non noscit, ergo non est scientia media; quid enim nosceret? & sicut non est scientia visionis, non noscat actu existens, ita nec erit scientia conditionata, si non noscat futurum conditionatum; si noscit, ergo pro illo priori, pro quo nondum est futurum conditionatum jam est futurum conditionatum: quod ipsum ulterius sic proponitur. Pro illo priori, pro quo antecedit scientia media futurum conditionatum non est adhuc futurum conditionatum; Ergo pro quo priori antecedit scientia media futurum conditionatum, est jam futurum conditionatum; Ergo ulterius est antequam sit. Quod totum sic in argumentum compingitur. Pro quo priori est jam scientia media, pro illo priori est jam futurum conditionatum: non enim potest esse scientia sine objecto;

sed pro illo priori antequam sit futurum conditionatum jam est scientia media; Ergo pro illo priori antequam sit futurum conditionatum est jam futurum conditionatum.

NE QUE VALET, si ex præmissis dicatur: Non esse illud formaliter conditionatum ante scientiam conditionatam. Tum, quia si responsionis sensus sit, non nosci illud determinatè ante scientiam conditionatam id verum est; sed nego per hoc constitui illud formaliter conditionatum. Tum, quia eodem jure dicatur: Scientiam visionis, in ratione objecti existentis, formaliter constituere suum objectum. Tum, quia infra etiam videbimus, nullas denominationes scientiæ, tribuunt objectis, nisi secundo intentionales; Futuritio autem conditionata formalis, est denominatio primo intentionalis.

PROBATUR 2. Quia hæc doctrina multa involvit difficulta, ut quod objectum scientiæ mediæ sit scientia media: Est enim ejus objectum non tantum concretum ex objecto, & ex illa futuritione formalis; sed etiam futuritio formalis; ad eum modum, quo in Logica objectum non tantum sunt operationes rectæ, sed etiam rectitudo operationum; consequenter huius propositionis: Scientia media noscit futuritionem formalem conditionatam pœnitentiæ, esset iste sensus; Scientia media noscit scientiam mediam de pœnitentia. Rursus, si futuritio formalis est ipsa scientia media, possent bene dicere Israelitæ, quare non prævidisti scientiæ mediæ nostram conversionem; ut prævidisti Tyriorum, quam scientiam ponere non erat in nostra potestate? Nec posset illis replicare Deus, quia non posuisti operationem futuram sub conditione prævidendam: Dicerent enim: Hæc operatio constituitur formaliter scientiæ mediæ, quam nos non possumus ponere, quare tu illam non posuisti? Deinde agnoscit ille futuritionem objectivam, quæro quid illi desit, ne illa objectiva, dicatur omnino formalis futuritio? qualem futuritionem habent reliqua objecta, antecederet ad suam scientiam. Quæro rursus, Futuritio objectiva per quid constituitur? si constituitur scientiæ mediæ; non agnoscit aliam formalem, & aliam objectivam futuritionem, ut videtur illas agnoscere distinctas: Si autem futuritio objectiva non habetur à scientiæ mediæ. Ergo immerito supponitur aliud constitutivum distinctum objectivæ futuritionis, & aliud futuritionis formalis. Et sicut per idem constituitur objectivè album futurum, & futuritio formalis albi, ita & in præsentia.

PROBATUR 3. Restituendo rationes, quas sibi opposuit Perez.

PRIMA RATIO est. Homines judicare solent de futuri veritate, nulla mentione factâ de scientia Divina, de eadem veritate & futuritione; Ergo futuritio non est scientia Dei.

RESPONDET Perez. Mentionem implicitam scientiæ Divinæ semper fieri non solum in iudicio

iudicio circa futura, sed & in aliis: hujus ratione ut assignet, censet tam honestum quam verum esse bonum naturæ intellectualis; & quia turpiter modo semper est fugienda à qualibet voluntate, & amplectenda honestas; ita veritas semper est amplectenda à quolibet intellectu per assensum, & falsitas fugienda per dissensum: Hinc qui nescit veritatem ut veritatem, necessario nescit ut bonum cuiuslibet intellectus: Et quia omnis intellectus affirmans aliquid, aut negans cognoscit veritatem, sit, quod cognoscat ut bonum, quod debet habere omnis intellectus; ergo veritatem cognoscit ut conformem fini, cuiuslibet intellectus, & debito illi, quo intellectus debet dicere verum: at tale debitum est scientia divina; Deus autem nullum habet debitum, nisi regulam suæ sapientiæ.

CONTRA est, quia aliud est: An apprehendens verum ut verum, debeat illud apprehendere ut conforme, & appetibile intellectui cuiusque, & aliud: An apprehendens verum ut verum, debeat apprehendere ut constitutum in ratione veri, per scientiam divinam, vel cuiusque; alius intellectus; primum illud verum est, probaturque allato discursu, secundum est falsum, nec probatur; immò sicut in ratione veri, verum ut sic, non constituitur tanquam à forma constituyente se, hoc est, scientiā divinā, ita nec futurum conditionatum constituitur tanquam à forma, à scientia conditionata. Et sicut turpitudine non ideo est mala, quia est fugienda à quacunque voluntate etiam divina, sed datur prior ratio ob quam fugienda est; ita & in præsentia. Quod autem dicitur: debitum Dei esse ipsam Dei scientiam, id non convincit; nam licet debitum ex parte potentiae, & principii coactivi nullum est in Deo; est tamen ex parte objecti, & termini exigentia, quā petat ut à Deo, qui regulatur suā sapientia, non nisi sic, ut illud deponat objectum, noscatur.

SECUNDA RATIO est. Quia est communis Societatis sententia, Deum ideo præscire futura conditionata; quia sunt futura; & non è contra; quæ doctrina secundum principia Perez esset falsa.

RESPONDET. Futuritionem conditionatam ex modo concipiendi peculiari quadam ratione, esse priorem scientiā mediā.

CONTRA. Si ex modo concipiendi idem significet, quod fide sit illic prioritas, nihil valet communis Nostrorum doctrina: Nam ex fide non potest salvari libertas; si autem ly ex modo concipiendi importet prioritatem non realis antecessoris, sed rationis ratiocinatæ; hanc admittimus; sed simul quærimus, cur ita antecedens prioritas, non habeat omnia requisita, ad futuritionem formalem?

ADDIT ulterius Perez. Existere ab æterno voluntatem liberam S. Petri, seu hypothesein in qua involvitur hæc voluntas, existere inquam,

non physice & in se, sed intentionaliter in mente divina; sicut enim antequam Deus liberè velit mundum, existit bonitas mundi in intellectu divino, præsens, ratione scientiæ simplicis intelligentiæ; ita & in præsentia, suo modo, &c. Et sicut bonitate mundi non movetur Deus nisi secundario; ita & in præsentia non erit nisi futuritio secundaria in objecto. Itaque pro priori antecedenti scientiam mediā, existit in divino intellectu per scientiam simplicis intelligentiæ libera voluntas Petri, cum omnibus prærequisitis ad agendum poenitentiam, vel non agendum; pro posteriori autem cum futuritione poenitentiae, vel negatione futuritionis; jam autem divinus intellectus quasi physice à seipso determinatur; intentionaliter verò ab ipsa hypothese, & libere arbitrio S. Petri, incluso in ea hypothese; dicitur verò tunc liberum arbitrium S. Petri eligere intentionaliter per ipsam futuritionem, seu scientiam mediā; quia ratione illius manet futura conditionata electio S. Petri.

ADDITUM hoc Perez.

NON SATISFACIT. Quia id quod dicit de voluntate S. Petri id nostrum intentum evincit: Quæro enim; Indifferentia voluntatis cognita à scientia simplicis intelligentiæ, per quid determinatur in posteriori signo ad unam partem? Si per aliud à scientia mediā; ergo ab illa non habetur futuritio formalis conditionata; si autem determinatur à scientia mediā; ergo ad punctum difficultatis non respondet, quia ostendi debet, quid sit præter scientiam mediā, à quo indifferentia illa determinetur? Ut salvetur illud commune Nostrorum principium in hac materia, quod non ideo futurum conditionatum liberum sit futurum; quia prævidetur, sed è converso. Deinde concedimus elicitivè determinari divinum intellectum ad hanc potius partem noscendam per scientiam conditionatam, sed quærimus per quid objectivè determinetur, cum sit indifferens ad utramque partem? Denique tandem videtur sentire idem omnino Perez cum nostra communi, quod objectivè conditionato cognito à scientia conditionata adferat etiam determinationem extrinsecam cogniti; nam etiam communis sententia id concedit, concedit item futuritionem, ut futuritio est, esse actum cuiusdam causæ attemperantis sibi intellectum divinum, ut videre est à num. 47. usque ad 53. Docet item futuritionem objectivam & intrinsecam esse existentiam operationis: unde esset tantum lis de voce, quod neget illam objectivam & intrinsecam futuritionem, esse futuritionem formalem.

Punctum Difficul-

tatis 2.

Solvuntur Objectiones.

I

Obje-

R. P.
H. MŁOD
ianowski
Tom. I. c. 2.
D. VI